

1c. *Una visione paradisiaca: PPF XI-XII.*

XI. 1 Sed et Saturus benedictus hanc visionem suam edidit, quam ipse conscripsit. 2 Passi, inquit, eramus, et exivimus de carne, et coepimus ferri a quattuor angelis in orientem, quorum manus nos non tangebant. 3 Ibamus autem non supini sursum versi, sed quasi mollem clivum ascendentes. 4 Et liberato primo mundo vidimus lucem inmensam, et dixi Perpetuae (erat enim haec in latere meo): «Hoc est quod nobis Dominus promittebat: percepimus promissionem». 5 Et dum gestamur ab ipsis quattuor angelis, factum est nobis spatium grande, quod tale fuit quasi viridiarium, arbores habens rosae et omne genus flores. 6 Altitudo arborum erat in modum cypressi, quarum folia cadebant sine cessatione. 7 Ibi autem in viridiario alii quattuor angeli fuerunt clariores ceteris: qui, ubi viderunt nos, honorem nobis dederunt, et dixerunt ceteris angelis: «Ecce sunt, ecce sunt», cum admiratione. Et expavescentes quattuor illi angeli, qui gestabant nos, deposuerunt nos. 8 Et pedibus nostris transivimus stadium via lata. 9 Ibi invenimus locundum et Saturninum et Artaxium, qui eadem persecutione vivi arserunt, et Quintum, qui et ipse martyr in carcere exierat. Et quaerebamus de illis ubi essent ceteri. Angeli dixerunt nobis : «Venite prius, introite, et salutate Dominum».

XII. 1 Et venimus prope locum, cuius loci parietes tales erant quasi de luce aedificati ; et ante ostium loci illius angeli quattuor stabant, qui introeuntes vestierunt nos stolas candidas. 2 Et introivimus, et audivimus vocem unitam dicentium : «Agius, agios, agios», sine cessatione. 3 Et vidimus in medio loci illius sedentem quasi hominem canum, niveos habentem capillos et vultu iuvenili, cuius pedes non vidimus. 4 Et in dextera et in sinistra eius seniores quattuor, et post illos ceteri seniores conplures stabant. 5 Et introeuntes cum admiratione stetimus ante thronum, et quattuor angeli sublevaverunt nos, et osculati sumus illum, et de manu sua traiecit nobis in faciem. 6 Et ceteri seniores dixerunt nobis : «Stemus» ; et stetimus et pacem fecimus. Et dixerunt nobis seniores : «Ite et ludite». Et dixi Perpetuae : «Habes quod vis». Et dixit mihi : «Deo gratias, ut, quomodo in carne hilaris fui, hilarior sim et hic modo».